Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36524
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

29 111

diebus suis peruenire non desinet. Et idcirco si placitas et acceptabiles deo primitias ex fructibus mentis nostrae optamus offerre, non mediocrem sollicitudinem debemus impendere, et omnes nostri corporis sensus matutinis praecipue horis tamquam sacro sancta domini holocausta in omnibus illibata atque intacta seruemus. Quod deuotionis genus multi etiam saecularium summa cautione custodiunt, qui ante lucem uel diluculo consurgentes nequaquam familiaribus ac necessariis mundi huius actibus implicantur, priusquam cunctorum actuum suorum operationumque primitias ad ecclesiam concurrentes diuino studeant consecrare conspectui.

XXVII.

Porro quod dicitis diuerso more, id est sex uel septem ebdomadibus per nonnullas prouincias quadragesimam celebrari, una ratio idemque ieiuniorum modus diuersa ebdomadarum obseruatione concluditur. Hi enim ebdomadarum sibi obseruantiam praefixerunt, qui putant die quoque sabbati ieiunandum. Sex ergo ebdomadas ieiunia persoluunt, qui eosdem XXXVI dies sexies reuoluta consummant. Una ergo quemadmodum diximus ratio idemque est ieiuniorum modus, licet in ebdomadarum numero discrepare uideatur.

XXVIII.

Sed profecto cum ratione huius rei humana obliterasset incuria, tempus hoc quo anniuersarie ut dictum est decimae domino XXXVI semis ieiuniis offeruntur, quadragesimae nomen accepit. Quod fortasse uel propter hoc uisum sit hoc uocabulo debere censeri, quod Moyses uel Helyas uel ipse dominus noster Ihesus Christus XL diebus ieiunasse traduntur. Ad cuius numeri sacramentum illi quoque XL anni quibus Israel in solitudine commoratus est, et XL similiter mansiones quibus eam mystice pertransisse describitur, non incongrue coaptantur. Et fortasse ipsa decimatio recte quasi abusu thelonei quadragesimae nomen acceperat. Ita enim illa publica uulgo uocatur exactio, ex qua tanta lucri portio regiis commodis deputatur, quantum etiam a nobis a rege omnium saeculorum pro usu uitae nostrae legitimum quadragesimae uectigal exigitur. Sane